Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

mini. Quod autem dixit: Quo ego vado
vos non potestis venire modo, non abstulit
spem, sed predixit dilationem. Quando enim hoc dis-
cipulis dominus loquebatur, tunc non poterant venire
quo ille ibat, sed postea venturi erant. Isti autem
numquam quibus prescius dixit: in peccato vestro moriemi-
ni. His autem verbis auditis, quomodo solent car-
nalia cogitantes et secundum carnem iudican-
tes, et totum carnaliter audientes atque sapi-
entes, dixerunt: Numquid interficiet se ipsum quia
dicit: Quo ego vado vos non potestis venire?
Stulta verba, et omnino insipientia plena.
Quid enim? Non poterant illo pervenire quo ille per-
rexisset, si interficeret semetipsum? Numquid ip-
si non erant morituri? Quid est ergo: Numquid interficiet
semetipsum quia dixit: Quo ego vado vos non
potestis venire? Si de morte hominis diceret,
quis homo non moritur? Ergo quo ego vado, non quo itur
ad mortem, sed quo ipse ibat post mortem. Illi
itaque non intelligentes ista responderunt.
Et dominus ad eos qui terram sapiebant quid ait?
Et dicebat eis: Vos de deorsum estis. Ideo
terram sapitis, quia sicut serpens terram manduca-
tis. Quid est terram manducatis? Terrenis pasci-
mini, terrenis delectamini, terrenis inhi-
atis, sursum cor non habetis. Vos de deorsum estis,
ego non sum de isto mundo. Quomodo enim erat
de mundo, per quem factus est mundus? Omnis homo
de mundo post mundum, quia prius mundus et sic
homo post mundum. Prius Christus et deinde mundus. Quomodo
ante mundum Christus, ante Christum nichil, quia
in principio erat verbum, et omnia per ipsum facta sunt.

Si ergo erat ille de supernis, quibus supernis? De
aere? Absit. Ibi et aves volitant. De celo
quod videmus? Et hoc absit. Ibi et stelle, sol
et luna circueunt. De angelis? Nec hoc
intelligas. Per illum et angeli facti sunt, per quem
omnia facta sunt. De quibus ergo supernis est? Ab ipso
patre. Nichil illo superius quod verbum genuit equa-
le sibi, coeternum sibi, unigenitum, sine tempore, per
quem conderet tempora. Sic ergo accipe Christum
de supernis, ut excedas cogitatione tua
omne quod factum est, universam omnino crea-
turam, omne corpus, omnem conditum spiritum, omnem
rem quomodo mutabilem. Totum excede, sic exces-
sit Iohannes ut contingeret: In principio erat verbum,
et verbum erat apud deum, et deus erat verbum. Ego
ergo inquit de supernis sum. Vos de hoc mun-
do estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi
ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris.
Exposuit nobis fratres quod intelligi voluerit.
Vos de mundo estis. Ideo quippe dixit vos
de mundo hoc esse, quia peccatores erant,
quia iniqui erant, quia infideles erant, quia
terrena sapiebant. Nam quid vobis videtur de
sanctis apostolis? Quantum intererat inter iudeos et apostolos?
Quantum inter tenebras et lucem, quantum inter
fidem et infidelitatem, quantum inter pietatem
et impietatem, quantum inter spem et desperationem,
quantum inter caritatem et cupiditatem. Multum
ergo intererat. Quid ergo? Quia tantum intererat,
apostoli de mundo non erant? Si cogites quomodo
nati sunt, unde venerunt, quia omnes ex Adam
venerant, de hoc mundo erant. Sed quod